Nunmehr lasse ich den Text nach Mabillon, unter Correctur einiger Fehler, folgen. Neues handschriftliches Material hat mir nicht zu Gebote gestanden.

Domni Oddonis Abbatis S. Remigii
Epistola ad Thomam comitem de quodam miraculo
S. Thomae Apostoli.

1. Salutare est omnibus christiani nominis cultoribus semper quaerere et audire aliquid aedificativum et, quantum sit dominus in sanctis suis mirabilis, cognoscere relatione fidelium. **2.** Cum enim te avidum super hoc cognoverim, iuxta petitionis tuae ammonitionem, quae in curia Romana vidi et audivi, scripto tibi intimare volui. **3.** Aderam anno praesenti, feria scilicet sexta post dominicae ascensionis sollemnitatem, ante domni papae praesentiam, de nostris videlicet negotiis locuturus, cum subito affuit quidam, qui legatos Byzantei, id est Constantinopolitani, imperatoris adesse pro foribus nuntiaret. **4.** Exhilaratus vero domnus papa super tanti nominis legatis, ex latere suo episcopum misit, ut eos honorifice introduceret sibique praesentaret. **5.** Veniunt salutatoque papa universali et plerisque curialibus, de salute imperatoris suorumque qualitate, prout fuerant sciscitati, satis honeste retulerunt.

6. Causa autem eorum haec fuit. Intererat cum eis Indiae archiepiscopus, vir satis honestae formae et iuxta linguae suae notitiam eloquentissimus, qui sociali adiutorio defuncti sui principis destitutus, consilii causa ad praedictum imperatorem iampridem venerat. **7.** Cumque imperator petitionem eius audisset et ex familiaribus suis unum principem dedisset, quasi perfecto negotio ad propria redire disposuit. **8.** Cumque iter ageret, novum principem morte impediente amisit. Quo tumulato, imperatorem repetiit, doloris sui causam nuntiaturus. **9.** Imperator vero consolatus eum, ne doleret ammonuit; principem recepit alterum imperatoris munificentia. **10.** Tunc archiepiscopus aliquantulum mitigato dolore agit iter sed non peragit. Repentinus enim secundi interitus principis duplicato dolore vehementer eum turbavit. **11.** Quid ageret, ignorabat: incertum quippe habebat, an imperatorem repeteret an incoeptum iter imperfecto negotio peragere deberet. **12.** Vicit tandem virilis consilii strenuitas imminentis periculi iacturam, suorumque exhortationibus relevatus et ne desperaret

Sächsische Landesbibliothek - Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
Sächsische Akademie der Wissenschaften